



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

62. Quo anno Sanctus Willibrordus sit creatus Episcopus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS  
quouis tempore rerum prænotiones menti ingerere. Vnde similis generis friuola reijcimus, indigna quibus calamus teratur.

Ex prædictis Respondeatur ad alteram questionem initio præpositam, S. Willibrordum intrasse urbem 10. Kal. Decembris id est 22. Nouembris, quæ erat feria quartæ hebdomadæ & festum S. Ceciliæ, quo & eodem uestitur Episcopus, de quo mox statuetur dissertatio.

### D I S S E R T A T I O N E L X I I .

Quo anno Sanctus Willibrordus sic creatus.  
Episcopus.

**B**RUSCHIUS dicit consecratum anno 694. PETRUS OPMERIUS anno 695. feria 2. Verum ambo refutantur ex Beda lib. 5. Histo. Anglicanæ ca. 12. expressim ponente eius ordinationem anno 696. Bedam omnes alij sequuntur, vt Heda, A Beca, Leijdensis, Molanus, Harcus, Miraculus, L. Beijerlinck, Bucherius, Ioannes Roberti ex monumentis Epternacensis, &c. Id ipsum probatur ex eodem Beda, qui finiens historiam suam Anglicanam anno 731, ait cap. 4. lib. 5. Willibrordum dicto anno 31. habere 36. sui Episcopatus annum. Rectè vero anno 731. agit 36. sui Episcopatus, si anno 96. consecratum teneamus. Nec contrarius est nobis SIGEBERTUS in chronico suis verbis ad annum 697: Willibrordus à SERGIO Papa Clemens agnominatus, & ad prædicandum genti Frisonum Episcopus consecratus, ex dono Pipini Principis secundum Episcopalem statuit in loco Wultaburch dicto, qui Wultraiectum dicitur à nomine gentis Wultrarum & Traiecto compositum, quasi Wultrarum oppidum, &c. Non enim ibi affirmat Willibrordum

dum anno 97. consecratum, sed iam consecratum (anno præcedenti) & reuersum, Episcopalem Cathedram Ultraiecti constituisse, quod verum est.

Ex his cernitur manifestus lapsus Francisci Irenici in exomologesi Germanica aientis, Ultraiectensem sedem ordinatam à Carolo magno & ab eodem Willibrordum eisdem impositum, cum Willibrordi consecratio, Cathedræ Ultraiectinæ constitutio, sessio & mors longè præcesserint Imperium Caroli magni.

Petes, quo vitæ suæ anno Episcopatus ordinem accepit? Respondetur anno 39. Liquet ex dissertatione 26. quæ habitum est in Frisiā aduenisse anno 690, ætatis suæ 33° cui si addantur sex, efficitur annus 39.

Sed an anno 39, inchoato sive currente, an expleto? Affirmare nihil habemus, cum nec mensem nec diem natuitatis eius teneamus, & parum refert. Exposcebat quidem tum quam plurimum usus in ordinando Episcopo annum quadragesimum, ut patet in Wilibaldo ordinato vitæ suæ anno 41. apud Gretz. Observat. lib. 1. cap. 12. in vitam S. Wilibaldi: in S. Huberto ordinato anno 40. apud Ioannem Roberti in questionibus Hubertinis ad vitam S. Huberti quest. 1. In Bonifacio qui videtur annum 50. requirere, nam cum eum Antistitem cuperet ordinare S. Willibrordus, ad eam dignitatem declinandum, annali (inquit Serarius lib. 3. Rerum Moguntinarum notatione 34) eius Episcopalis ordinis lege usus est se 50. anni nondum plenè ætatem recepisse. Attramen usus talis nec erat perpetuus, nec ubique; quandoquidem constet in Concilio Agathensi circa annum Christi 506. Provinciali quidem, sed approbato, recepto & in praxim deducto, conclusum, sufficere ut infra trigesimum annum nullus ordinetur Episcopus, quod hodieque in communi est observatione.

C C 2

Quid-

Quidquid vero Canon usque tulerint, ubi supremus omnium moderator iubet, cuius imperio Ecclesiæ ministri destinantur, Canone quoque usumque cedere necesse est. Scimus diuino nutu S. Remigium eximium illum Galliarum Apostolum id dignitatis consecutum non amplius 22. annos natum. S. Lambertum 21. aetatis suæ; unde parum dixi refert an trigesimo nono inchoato, an expleto Willibrordus hierarchicam consecrationem suscepit, qui ex coelesti imperio veniebat ordinandus.

## DISSERTATIO LXIII.

*Quo die eam acceperit.*



N mense Nouembri eam accepisse, indubium est. Quo mensis die? Beda affirmat ordinatum in festo S. Ceciliae virginis & Martyris, quod celebratur 22. Nouembris. Trithemius in compendio historiae Francorum in festo S. Clementis Papæ & Martyris quod celebratur 23. Nouembris. Bedæ Authoris coætanei grauissima est Authoritas, quam sparsim sequuntur. Pro Trithemio facit 1. quod in die S. Ceciliae 22. Nouembris Willibrordus prius urbis magna subierit; unde non videntur tam cito presto potuisse esse que pro apparatu Episcopalis consecrationis debent ac decet. 2. quod nomen Clementis Willibrordo ab ordinatore sit impositum, ut qui ordinaretur in festo S. Clementis; inde enim transnominationes sepiissime accipiuntur.

*Si alterater repudiandus esset, Trithemius esset repudiandus.*